

## IN LIBRUM QUARTUM

## EPITOMA.

**L** Odovicus Rex, exeunte induciarum tempore, fœdereque cum Carrariis & Aquilejense Antistite percusso, Dalmatiam & Italiam uno tempore invasit: Rex, Taurisio aliquandiu frustra oppugnato, in Pannoniam, relictis ad obsidionem copiis, abiit: Venetus urbis commercio Patavinis interdixit: Mercenaria Germanorum manus ad Brentam amnem a Pannonibus cæsa est: Omne Dalmaticum nomen a Venetis alienatum, in Lodovici Regis ditionem concessit: Pax cum Lodovico Rege secuta est: Legatorum, qui ad Imperatorem missi fuerant, duo in Germania a latronibus intercepti sunt: Dux Austriæ legatos captos secum Venetias reduxit: Cretenses nobiles a Veneto defecerunt imperio: Luchinus Vermius cum validis copiis in insulam missus est: Græci ad Strombolum montem a Venetis prælio victi, trepide se Candacem receperunt: Candax urbs recepta est: Pacato insule statu, hastarum certamina & aurigationes ob victoriæ leticiam in urbe sunt celebratæ: Cyprius Rex Veneta classe fretus, Alexandriam in Ægypto diripuit: Rebello aliquanto atrocior, deductis ex insula copiis, secuta est: Diu multumque in insula laboratum: tandem fractis insulanorum opibus, Græci imperium receperunt: Tergestinorum defectio Creticum bellum secuta est: Veneti prospere in Ducem Austriæ ad Tergeste pugnarunt: Cum Patavinis de finibus disceptatio orta est.